Fragmentarium

obsequii cui subdatur inquirens. Non autem signum cui credat
flagitans. Neque enim dicebat electam generando deo virgi-
nem dubiam diffidentia, sed prudentia cautam existere. Quia
nec sic cito poterat homo nosse misterium quod in deo manebat
a saeculis absconditum. Quia ergo legerat ecce virgo in utero habebit
et pariet filium. Sed quomodo id fieri posset non legerat. merito
credula his quae legerat sciscitatur ab angelo quod in propheta non invenit.
VIII ET RESPONDENS ANGELUS DIXIT EI SPIRITUS SANCTUS SUPERVENIET IN TE
ET VIRTUS ALTISSIMI OBUMBRABIT TIBI.
Non virili inquit quod non cognoscis semine sed spiritu sancto quo imple-
ris opere concipies. erit in te conceptio libido non erit. Concu-
piscentia non erit ardor ubi umbram facit spiritus sanctus. Verum in eo
quod ait et virtus altissimi obumbrabit tibi. potest etiam incar-
nati salvatoris utraque natura designari. Umbra quippe a lumi-
ne solet et corpore formari et cum obumbratur lumine quidem ta-
lore solis quantum sufficit reficitur. Sed ipse solis ardor nesci-
ri nequeat interposito vel nubiculo levi vel quolibet alio corpore
temperatur. Beata itaque virgo quae ut quasi homo omnem ple-
nitudinem divinitatis corporaliter capere nequibat. virtus ei
altissimi obumbravit. id est incorporea lux divinitatis corpus in ea
suscepit humanitatis. De quo pulchre propheta. Ecce dominus inquit
ascendet super nubem levem et ingredietur egyptum. quod est dicere
Ecce verbum dei patris coaeternum lumenque de lumine ante saecula
natum. carnem in fine saeculorum atque animam nullo peccati
pondere gravatam suscipiet. et de utero virginali tamquam
sponsus de talamo suo procedet in mundum. IDEOQUE ET
QUOD NASCETUR SANCTUM VOCABITUR FILIUS DEI.
Ad distinctionem nostrae sanctitatis ihesus singulariter sanctus nascitu-
rus asseritur. Nos quippe etsi sancti efficimur. non tamen nas-
cimur. quia ipsa naturae corruptibilis conditione constringimur.

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

License: cc-by-nc-sa – [sine loco], codices restituti, Paris, BNF, Baluze 270, f. 124-131 + Paris, BNF, lat. 5288, f. 34-41, ParisBNFBaluze270_278_f131v – Bede's commentary on Luke (https://fragmentarium.ms/view/page/F-s74n/437/6544)